Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3083
Quelle:
Copyright:

DCCCLV.

755 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 108. 8. charactere ſat luculento nigro rubroque ſcriptus hunc titulum praefert: *In nomine ſancte et indiuidue trinitatis incipit breuiarium ordinis hoſpitalis ieroſolimitani.* Initium ducitur a *ſabbato in aduentu domini ad ueſperas.* Per totum decurſum Dicenda primis duntaxat vocibus indicantur, plurimisque Rubricis interſperſa ſunt; adnotantur etiam *Miſſae. Fol.* 78. p. 2. poſt Feſtum SS. VII. *Fratrum* die 10. *Julii* ponitur Officium *in liberatione ſancte ciuitatis ieruſalem*, ubi ad marginem inferiorem alia manu ſequens *Invitatorium* adſcriptum eſt: *Filie ſyon currite adſunt enim celebria matris ueſtre ſollempnia iubilemus igitur deo noſtro unanimes qui ſibi eam gratuita elegit clementia.* Item *Oratio. Omnipotens ſempiterne deus edificator et cuſtos ieruſalem ciuitatis ſuperne cuſtodi locum iſtum cum habitatoribus ſuis ut ſit in eo domicilium incolumitatis et pacis. P. D.* Hoc Officium ſequens excipit Rubrica: *Eodem die dedicatio dominici ſepulchri. quam ſollempniter celebramus.* Et nihil amplius, ſed ſtatim: *Sancte Praxedis uirg.* &c. Ad calcem: *Explicit breuiarium ordinis ſancti iohannis baptiſte.* Adhaeret tamen *Collectarium* fine mutilum.

DCCCLVI.

Codex membraneus lat. quem 729
e characterum forma facile vetuſtiorem credas, ſed Sec. XV. Folior. 490. 4. nitidiſſime perſcriptus, et literis initiorum picturatis deauratisque ſpecioſus Officium divinae Pſalmodiae, vulgo *Breviarium* exhibet, in quo praemiſſa de ordinando Tempore eccleſiaſtico, ut ſolet, inſtitutione ſequitur *Calendarium.* Comparet in eo menſe Febr. *Translatio ſancti Auguſtini*, Apr. *Translatio ſancte Monice*, Majo *Conuerſio beatiſſimi patris noſtri Auguſtini*, et *Sancte Monice*, Aug. *Sancti Auguſtini* cum Octava, Sept. *Sancti Nicholay de tollentino.* Praeterea *fol.* 386. Horis de S. *Auguſtino* inſcriptum eſt: *In ſolemnitate beatiſſimi patris noſtri Auguſtini*, atque haec omnia minio. In uſum itaque Ordinis *Auguſtiniani* ſcriptum eſt iſtud *Breviarium*, et en tibi *fol.* 89. eleganter florido et deaurato depictam habitu hujus Ordinis effigiem Librariae, quae ductus Literarum vetuſtiores ſcite imitata celebrioribus Mulieribus καλλιγραφοις accenſeri poteſt. Circumfluit illam Faſciola inſcripta: *Ancilla Ybeſu Chriſti Maria Ormani Filia Scripſit M°. CCCC. L. III.* quem annum in calce *Codicis* repetitum male feriatus quispiam corrupit, ut mox dicetur. Parthenonem quendam *Italiae* incoluiſſe *Mariam* noſtram liquet e ratione ſcribendi menſem *Majum*, qui ſemper *Madius* (Maggio) audit, atque Parthenonem illum